

obseruabantur. 1. Itaque orditur à repetitione rerum gestarum à monte Horeb, vsque in Kades, ac populo proponit Domini beneficia in eo itinere exhibita, contrà eorum pertinaciam in peccando, ex quo Dominus commotus fuerit, vt non statim eos introduceret in terram, sed ex Kades iusserit circumire montem Seir. Hæc producuntur vsque ad 5. caput. 2. Hinc repetitionem legis proponit, & 1. Decalogum ex superioribus repetit. 2. cultum vnius Dei studiose inculcat, vsque ad caput 12 vbi agit contra idola, de falsis prophetis, & aliis, quæ à dilectione veri Dei videbantur auocare populum. Repetit etiam festiuitates, quibus Deus voluit coli: præterea cæremonialia, de Leuitis & Sacerdotibus: item ciuilia, de homicidio, de bello & pace: præterea moralia & præcepta charitatis. Producitur hæc materia vsque ad caput 27. Vbi nouo genere argumentorum excitat ad obseruantiam legis Dei. Proponit enim maledictiones non obseruaturis, & contrà benedictiones obseruaturis. Ista producuntur vsque ad caput 31. Ex quo loco vsque ad finem nouum tractatur argumētum. Nam Moses ibi moriturus successorem ordinat Iosiam, & pro more Patriarcharum benedicit populo, & posteritati. Hinc ascendit montem Nebo, & humana relinquit, cuius morte historia concluditur.

PAR-